Czapliński Caroli: Splendor nominis in illustribus virtutum meritis coruscus D. Alberto Kowalski repraesentatus.

SPLENDOR NOMINIS,

in illustribus Virtutum meritis
CORUSCUS.
Perillustri & Adm̃ Rñdo Dño,

D. ALBERTO KOWALSKI,

PRÆPOSITO S. Spiritûs Bytomiensi,
CURATO Charzouiensi,
ORDINIS CANONICI,
CUSTODUM SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani
Conuentus Miechouiensis,
GENERALI CVSTODI:
DUM
Sacra Natalis eius Dies inter Vernantes
delicias Festiuans
CELEBRARETUR,
A
P. F. CAROLO CZAPLINSKI,
eiusdem Ordinis Profess. ac in Alma Uniuersitate Crac: Magisterij in Artibus & Philosophia Doctoratus Licentiato,
officioso Studio & debitæ Venerationis cultu
REPRÆSENTATVS,
& EIDEM
DEDICATVS.
Anno Salutis, M. DC. LXXXIV. Die xxiij. Aprilis.



CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

IN STEMMA
Ordinis Canonicorum Reg larium Custodum SS. Sepulchri D. Hierosolymitani Celeberrimi Conuentûs Miechouiensis.



DIgnius haud potuit, Diuini Stemma Sepulchri
CUSTODUM fieri; grandius atque decus:
Quàm quòd purpureo splendescit sanguine CHRISTI
Militiæ Domini, conuenit iste color.
CRVX quoniam CHRISTI, superat Regalia Sceptra,
Ad iubar istius, Stemmata cuncta latent.
Custodes, Sacri, decuit sic nempè Sepulchri
Ut CRVCE clarescant, dum Crucis arma gerunt
Ergò quanta comes est gloria Stemmatis huius,
Hæc eadem sequitur, pectora iuncta sibi

Albertus Franciscus Czaplinski, Secundæ Laureæ Licentiatus.

SPLENDOR NOMINIS
in illustribus virtutum meritis, CORVSCVS.

GRatiosus temporum fauor
inter venustas terræ luces, si exoriatur;
à gaudijs delectamentum, à splendoribus
inæstimabile pretium habet.
Coruscat abundanter Maiestuosa Cæli facies, suorumq; siderum dignitates, ineffabili lucis suæ titulo coronat: non tamen virtutum serenæ excellentiæ in Cymmeriis sunt, ita; vt non etiam, à meritis gaudia, à dignitatibus ingentes splendorum radios iaciant.
Est suus etiam terris nitor
Polorum faci æmulus,
nec cedit in gratia cuipiam, vel ex eo;
quòd, cùm hæc lucem solam, hic etiam cum illa dele-ctamentum in desiderijs & gaudijs relinquat.
Habent interdum & lucis pretium
præclaræ nominum æstimationes
aureâ Crucis insignitæ Maiestate,
& tunc solennius in dignitates eunt,
cum gratiosius in publica commoda meritis coruscant.
Splendor hic Nominis
à Tuæ virtutis pretio abundè præsentatus
Perillustris & Admodùm Reuerende Domine,
D. ALBERTE KOWALSKI,
Generalis & Vigilantissime
CUSTOS,
Conuentûs Miechouiensis
Domine & Benefactor Munificentissime,
ibique insignes suæ adoreæ faces exhibet,
vbi inter communes animorum conatus

adoratur lux vna sapientiæ:

nec immeritò ad data totius Ordinis desideria eminet,
quia deuotas infimasque mentes ad conseruationem illustrat.

Præfers splendidam nominis Tui æstimationem
in hac honorum eminentia; & dum atræ
malignantium nubes tenebras incutere tentant:
Tu obuios radios præfers virtutum meritorumque.

CRUX HÆC

Tuo pectori decora, etiam à Diui Tutelaris Tui
Nomine splendida, vt poté,

Archypræsuleæ dignitatis inæstimabilis lux,

etiam à Tuo gratiosa, vt poté,

in hoc ad nitorem data, nunquam sine fulgore exstitit,
cum quo non publici tripudii exhibuerit incrementa.

Nam

Ex quo feliciter purpuratæ Crucis Christi militiæ

Nomen Tuum dedisti,

id semper continuis meritis Tuis, agere satagebas,
nè Te vinci,
inter operosissimi pro bono publico sudoris guttas,
Dispensatoris munus hactenus obeundo,
charitatis ac vigilantiæ conflictu patereris.
Ab hoc experimento virtutis & prudentiæ Tuæ
non poterat nominis Tui splendor latere,
cum Te in Præpositum Wyszogrodiensem
concordia omnium Fratrum vota, elegerint,

Vbi priusquam, promouendi cultûs Magnæ Magni DEI Matris,
adysti curas, iam cum Nomine Tuo, ita splendescere cæpisti,
vt vltra communem meritorum statum,
vnanime animorum votum

Te Curatum Chelmensem fieri dein peteret.

Nec hic
augustus Nominis Tui splendor clarescere desijt,
immò, clarius, acsi post nubila Phæbus,
in sua Pastorali cura, & indeficienti erga DEI MATREM
pietate, pro cuius cultu & honore toties magno spiritu zelat,
insigni suâ operâ, Confraternitate Sanctissimi Scapularis
in Do-

in Domûs Dei decorem, plantatâ, luxit:
& quem
sic pietas Promotorem agnouerat,
sedula illius propagandæ studia non recusent.
In publicis etiam rerum Causis discernendis
Arbiter,
in promouendis multorum negotijs
Cato,
Verè cunctando Consilium egisti:
quoties publicis semper commodis ad integritatem Sacri Ordinis prudentissimum dedisti consilium.
Atquè inde
expertissima Tua agendi dexteritas,
& tantæ Tuæ prudentiæ Maiestas,
vt in publicis etiam appareat splendoribus,
Ad
Serenissimum & Inuictissimum,
IOANNEM III.
REGEM POLONIÆ,
omnium nostrum vota & suspiria peregisti,
quæ recenter in vnanime quidem studiū vocasti;
plus tamen meritorum Tuorum suffragia exhibusti,
probatam vbique virtutis Tuæ prærogatiuam coronandam.
Quam optimè in Te approbauit,
Perillustris olim & Admodùm Reuerendus,
STANISLAVS ŁASICKI
Sacræ Theologiæ Doctor,
Vir summâ prudētiâ, doctrinâ, pietate, vitæ probitate
& dotibus animi excellentissimis clarus,
in dignoscendis & æstimandis bono publico perquam vtilibus viris,
ipsa Intelligentia; cum Te
Commissarius Generalis factus,
ad visitanda Prouinciarum totius Conuentûs Beneficia

59

in Consiliarium sibi elegerit.
Iudicium tanti viri, Lydius virtutis Tuæ lapis, & statera meriti, ostendit pretium Tui, nectensq; Tibi meritorum Coronas, nexuit quoq; statim & coronamentum honoris.
Nimirum
quando Præposituræ Sancti Spiritûs Bytomiensis
& Plebanatûs Charzouiensis
post sera illius fata, felix successor mansisti.
Et sic iam cum coronata virtute Tua succedens;
tandē in Custodē Conuentûs Miechouiensis electus,
eundem vt feliciùs custodires,
à Crucis huius splendidissimo Insigni lucem tulisti,
verior Nazonico Promotheus.
Illuminas hîc non vnum auidum Tuæ laudis desiderium, candore mentis, zelo pro Domo Dei ardenti, morum probitate, singulari & pene innatâ Tibi charitate,
Ecclesiæ Dei decorem meritis & virtute;
quem indies auges in pios vsus, ita; vt alijs
virtutum & meritorum Tuorum exemplum illustre præbeas.
Hinc splendidum Nomen Tuum,
licèt per se illustrem splendorem habeat,
lucem attamen etiam ab hac Tua condigna
& debita sede inuenit accipitque
mentis Iubar insigne,
vt nostras mentes ad suauitatem illustret.
In quo officio
quotiescunque publicæ authoritatis munia peragis, toties illustrem virtutem Tuam ardore animi coronas:
humilitatis notas quoties relinquis,
toties sublimes Gratias Tuas naturæ euehis,
meritis vbique coruscus;
Luces & ex communi animorum suffragio, dum ad minores infra Tuam dignitatem, Te demittere soles.
verùm
probati splendoris imitans genium
candidâ morum Tuorum & animi tranquillitate
in genuino splendore,
Comita-

Comitatur, à latere Tuo, humanitatem,
latere neſcia in occulto munificentia.
Et tum
abundè Te opulentum fateris, cùm
profuſis diues beneficijs
plurimorum animos gratitudine obæras ;
nihilque aliud & ſæculorum ærario præfers,
quàm, vt omnem Sacri Ordinis vetuſtatem
renoues ſolicitudine,
augeas meritis, ſtabilias immortalitate.
Liberalitas Tua
quæ aurea eſt, in Fratribus ſic elucet,
vt aduentitij etiam Benefactorum ſplendores
ad munificentiæ Tuæ lumen debeant eclypſari ;
ibique illud mirentur ad ſtuporem,
vbi eius decora in domicilijs exſtructa,
Eccleſiæ ſplendore aucto, in omnium denique
animorum ſuffragijs dotatis, extant
ad perennitatem
Ergo.
Qui in illuſtribus virtutum Tuarum meritis
ſplendore Nominis Tui fulges,
etiam Sacri Ordinis noſtri augeas magnificentiam
& ſplendorem.
Emineat hic in te & celſiùs aſſurgat, habeatq; ſuperos fauentes ;
quos eximia pietas & cultus maximus Tibi propitios reddit.
Mihi certè nihil honorificentius,
Tibi nihil ſplendidius eminere potuit.
Quàm, quidquid in me beneficum, amabile & Paternum
à Tui Nominis ſplendore deſcendit,
id ſaltem pignore literato, quod in partem felicitatis meæ computo,
impari licèt conatu, aſt pleno debitæ venerationis
& obſeruantiæ affectu,
Ad ſolennem Diui Tutelaris Tui lucem,
licuerit mihi conteſtari.

Hunc igitur in Te eminentem ex virtutum meritis splendorem votis ad D. Tutelarem Tuum fusis prosequor,

vt,

in peragendo rectè Diuinorum officiorum ordine

Vigilantissimus,

in retinenda veteri Religionis disciplina

diligentissimus,

TV CVSTOS

pro Domo Dei & eius decore

zelantissimus.

longæuus annis, venerandus meritis, honoribus splendidus, felicitate successuum conspicuus, boni publici incremento clarus, diu Ecclesiam Dei, diu Sacrum Ordinem Nostrum illuminare non desinas, tanquam

SPLENDOR Nominis Tui

in illustribus virtutum meritis

CORVSCVS.



